

in Cosmodromio aet. 6. c. 47. Boeclerus in Henrico Auc. duo observat contra Hunnos proelia, quorum primum ex Sigeberti calculo cadit in annum 922. et iuxta Merseburgum contigit, Luitprandi diligentia mirifice depictum: alterum conicit Sigebertus in a. 934. a Vitekindo accurata trutina expensum, quae duo proelia saepius commiscuntur, nec ab ipso Fabricio in Orig. Sax. et aliis accurate satis distinguuntur. Sine dubio ad posterioris proelii memoriam ingenii aciem intendit Gotfridus, quando nominat incredibilem Vngarorum caedem, et Caspar Calvoerius, qui decertandi aream ad campos Sondershusanos et Veisenfelsen compingit. Scabiosi canis relatio a multis historicis decantata commode ad alterum refertur proelium, inoleveratque vetus consuetudo pro lege apud Francos et Svevos, ut si quis nobilis, ministerialis vel colonus coram suo iudice quorundam criminum, verbi gratia depraedationis aut incendii reus inventus fuisset, antequam mortis sententia puniretur, ad confusionis suae ignominiam, nobilis canem, ministerialis fellam de comitatu in proximum comitatum gestare cogerebantur. Haec Otto Fris. L. 2. de gestis Frid. c. 28. a quo hausit Guntherus quae habet in eandem sententiam L. 5. Ligurini. Purgata ab Hunnorum quicquiliis et cadaveribus Germania, Sallustii pronunciatum ante oculos habuit heros noster, firmanda scilicet est resp. non armis modo, neque adversus hostes, sed quod multo maius, multoque asperius est, bonis pacis artibus: hinc praecepit, ut passim in Germania magna, figillatim in Saxonia urbes exstruerentur, eaeque muris, legibus ac armis, tanquam propugnaculis libidinis firmis firmis munirentur. Instar omnium pro-

Calvoerius
in Sax. ant.
p. 227.

Carolus Du
Fresne in
Glossar. ad
script. me-
diae et in-
fim. latini-
tatis p. 746.